Historia urbium in Germania

Leoris (Loewenberg) in Silesia.

Fechneri Joh: Leoris inclyta Clarissimorum Virorum genitrix.

Wratislaviae. 1653.

4129

LEORIS,

Inclyta Clarissimorum Virorum Genitrix,

Mnemosyne dictante descripta

â

M. Johanne Fechnero.

Wratislaviæ, Typis Baumann. exprimebat Gottfrid Gründer.
Anno Christiano M. DC. LIII.

NOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO, DOMINO

CHRYSOSTOMO Schultz LEORINO JC.

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS SCABINIS REIPUBL. WRATISLAV: A SECRETIS,

AFFINI ET FAUTORI SUO ENIXISSIME COLENDO

HOC FAMÆ LEORINÆ MONUMENTUM, IN ARA MEMORIÆ ET HONORIS, *Offert & Consecrat*

M. JOHANNES FECHNERUS,
Freistad.Sil. P. C. L. Gymnasii
VVratisl. Magdal. Conrector.

NAm qvid Pyramidum ductas ad Sidera moles
Jactitat infami sistro perculsa Canopi
Turba? Qvid ostentat multum vigilata Myroni
Signa Ducum in laudem propriam diffusior æqvo
Græcia: Si Cronii rodit Dens acer ahenos
Miltiadas, si saxa ruit vis improba Clothus?
Ecce Sepulcra sepulta jacent, Monumentaq; Lagi,
Quæ nutante cono pulsabant Limen Olympi,
Sub Tumulo recubant tumulata. Tropæa Cononum
Ardua Fors petulans obtrivit calce feroci.
Tam celsum nil est, qvod non sua Fata supinent.
Vah! quas non evertit opes furialis Enyo!
Majorum quæcunq; manus struxêre, Nepotum
Destruxêre manus. Hostile impresit aratrum
Pergameis Græcus muris: sed sulphure cocta
Mœnia prostravit succinctus Acinace Perses.
Qvod Puer ante DEûm prædixerat Hannibal aras,
In Cineris formam dudum Cartago redacta est:
Nec cladem potuit victrix depellere Roma.
Scilicet hanc statuit fatalis Diphthera Legem
Humanis rebus: Nil esto sub axe perenne.

 Sed

Sed Romanorum, magnum & memorabile Nomen
Ætas longa nequit Lethe mersare profundâ.
Vives, Roma vetus, nullo delebilis ævo;
Vives, donec erunt Musæ monumenta Latinæ.
Mars Te victricem victor munivit: At idem
Victus non valuit victæ fulcire ruinam.
Sola, Palatinus quæ consecravit Apollo,
Scripta tibi vitam ventura in secla propagant.
Tanti est Varrones doctosq; dedisse Quirites,
Qui Patriam studeant Famæ transcribere templis.
Ecquis cultrices Studiorum nosset Athenas,
Ni produxissent ovo felice Platonas
Magnos? Socraticis debet Tritonia Pallas
Omne decus cartis. Stagiram clarat inertem
Summus Aristoteles. Hoc Cive beata Philippos
Provocat & Pellam nato sibi Rege celebrem.
Plus unum generasse Sophum, quam mille Tyrannos
Bellorumq; faces Orbi peperisse domando.
Tantum non Urbi confert trabeata Potestas,
Indigenæ quantum Sapientia nota Biantis.
Hanc Patriæ nequeunt concludere mœnia: Prodit,
Prodit ad externos Sapientum Fama; nec hostes
Instantes horret, nec dira incendia. Solo
Vivitur Ingenio, pereant si cætera? In illud
Nil juris Summanus habet, nil Atropos atrox.
O faustas Urbes! O terq; quaterq; beata
Oppida, proclivis quibus indulgentia cœli
Cives donavit Genii Ingeniiq; potentes!

Ergo

Ergonoſce tuas Sortes fæcunda Virorum
Magnorum quondam Genitrix, Leoberga. Tonantis
Supra Fortunæ caput effer fulmina. Cælo
Te dudum adſeruit Natorum Fama tuorum.
Præ reliquis Sleſiæ Nymphis te Phœbus amavit,
Ex quâ tot Pullos Muſarum ſuſtulit una:
Quorum ſi numerum contendat inire Thalia,
Promtius expediat, quot apes vernantis Hymetti
Depopulentur opes, quod germina proferat Hybla.
Munera plura quidem tibi large-prodiga rerum
In gremium Natura Parens congesſit amœnum.
En circumfuſi te cingunt undiq; Montes,
Montes, quos Pomona frequens, quos Elvia prægnans
Certatim lætis & fætis dotibus opplent.
Prata quid enarrem pulcrè porrecta per æquor
Irriguum vallis, geminam quà proſpicis Arcton
Eoumq; latus? Certè Peneia Tempe
Invideant his delicias: Sic illa locuples
Chloris ditavit late-Regina per oras
Iſtas. Elyſii ſunt hic (nil fingimus,) Agri.
Hic torus eſt Veneris, quem circum Gratia Triplex
Cum Nymphis agitat nunquam defesſa Choreas.
At Satyri procul amoti turbare verentur
Orgia caſta Pales placidæ Leorinaq; regna,
Fixit ubi ſedem non discesſura Voluptas.
Hinc turget fæcunda Nape, quam rore ſalubri
Bobera proclivis perfundit, Bobera doctæ
Hebrus Sileſiæ, quem clarat plurimus Orpheus.

Adſpice quam lentò pede rura pererret amica,
Quam lepidè dubii longâ ambitione meatus
Mæandrum ſimulet! Portendit brachia flexa
Longius, ut Nymphas faciles complexibus artis
Stringat, quas gremio molli dimittere nescit.
Parte aliâ latus Urbis obitq; ſubitq; GeorgI
Rivus aquæ largus, ſordes ut diluat omnes.
Hoc duce non trepidant deſerto rure vacivo
Naïades medias Urbis luſtrare plateas,
Et penitrare domos Laribus colludere lautis,
Virgineasq; labris lymphas displodere ſuetæ.
Quis verò valeat dignâ celebrare Camenâ
Ornamenta, ſuis quæ mœnibus inclyta quondam
Occluſit Leoris, Sleſiæ ſpeciosa corona,
Luſatios quà ſpectat agros Solemq; cadentem.
Ædes Victruviâ conſtructas arte decenter,
Diſpoſitasq; pari ſerie rectâq; per ampli
Quadrua plana fori, moles operosa ſacrorum
Templorum, lati domicilia culta Lycei,
Quattuor excelſis, quæ comunt nubila, turres
Verticibus, duplicis pinnacula ſaxea muri,
Pluria cæmentis, quæ rupis coſta propinquæ
Præbibuit, quadris operum molimina ſtructa
Externi ſtupuere viri, ſtupuere Magiſtri
Arces magnificas exædificare periti.
Hæc monumenta ſibi ſtatuit Leorina Vetuſtas,
Sed non ad ſeros perduratura Nepotes.
Nam quæ nùnc facies Urbis? Quæ ſcilicet Urbis

Eſt

Est versæ. Fœdis heu! deformata ruinis
Perdidit omne decus. Lati pars maxima muri
Diruta, Musarum sedes vastata verenda,
Dis-que-sipata jacent domuum fastigia passim.
Funus ubiq; vides: Jam pridem iuêre coloni
Exequias Patriæ. Ferali carmine Bubo
Funestos ululat lessus, Lemuresq; Penates
Desertos habitant. Vix una vel altera restat
Ædes, vix Turres tantæ vestigia cladis.
Prisca suburbano decessit Gratia rure;
Decessit vernans cæsis Pomona pyretis.
Sed quamvis hinc Pestis atrox te civibus haustis,
Inde gravis Mavors mactârit strage frequenti:
Non tamen absumpta est culti tibi Gloria Civis.
Surge age, surge iterum, Leoberga, è pulvere, surge;
Nec tibi congeries saxorum strata dolores
Proliciant tantos: Restant Monumenta vetusti,
Quæ nulla annorum series abolebit, Honoris.
Omnia pessum ierint; salva est tibi Fama tuorum,
Salva est adsiduùm. Manes gaudete sepulti
Majorum, si quid sentitis sub scrobe denso.
Vos digni, quorum Cineres Amarantus inumbret
Æternus, quorum præcingat Laurea Tumbas.
Vos vobis Nomen peperistis in Orbe perrenne
Clarâ Progenie, cujus victura Monetæ
Excelsis suspensa tholis Anathemata fulgent.
Condidit hanc Urbem (retulit velut alta vetustas)
Natio fossorum pubesq; metallica, cæcas
Terræ

Terræ dum vestigat opes sub monte cavato,
Auri dum ramenta legit diluta Georgi
Rivo, qui Pactolus erat dum Slesidos Oræ.
Sed mox monstratas Plutus subtraxit avarus
Divitias: vacuis horrescit Zechia fossis
Sylva: Qvibus lotum dedit aurum nomina quondam,
Nil præter vocis retinent vestigia, Pagi.
Post exauxit opes Urbis solertia felix
Pannificum, qvi Mercurio sua texta secundo
In Terras misêre alias, quæstuq; feraci
Complêrunt loculos. Sed ubi nunc Urbis opimæ
Tam populosa tribus? Dudum dilapsa reliquit
Desertas sedes. Has Civibus improba Clotho
Invidit Sortes, & nigro pollice rupit
Tramas cum subtemine,
Pannifices & pannosos exegit ab Urbe,
Acres claudicat & cadit hinc Leorina.
Verum quod potior contexuit Ornamentum
Pallas, non audent fatales rumpere Parcæ.
Artibus hæc, Leoberga, tuos instruxit Alumnos
Nobilibus, queîs perpetuis spectabile seclis
Aulæis Superum possent intexere Nomen.
Tot non Heroas bellatrix Græcia misit
Contra Trojugenas, tot non Urbs alta Quirini
Vidit Victores Capitolia scandere sacrâ
Conspicuos Lauru; Leoris quot protulit una
Omnigenû mactos Studiorum Laude Nepotes,
Qvi Patriæ in gremium plures retulere Coronas.

Horum

Horum dum nuper ſtudioſâ mente Tropæa,
Et Cliûs Leorineæ tot Nomina volvo,
Multa ſuper Suevo meditans, ſuper agmine multa,
Tanti quod mecum pendebat ab ore Magiſtri;
En! ſubitò mihi Mnemoſyne veneranda bonarum
Pieridum Genitrix apparet fronte ſerenâ
Jucundùm ſplendens. Humanâ major Imago
Viſa Deæ: Superis Majeſtas digna micabat
Ex acri vultu: Canos Diadema novenis
Præluſtre Stellis & Lauri fronde premebat.
Aſt niveas veſtes inſcriptus Nomina clara
Heroum Peplus multo decorabat Honore.
Nec tacuit cæleſtis Anus, ſed voce benignâ
Stans ex adverſo ſic eſt affata paventem.
Qvid verò trepidas? Muſarum ſiccine Mater
Hactenus eſt ignota tibi? Pone ocius omnem
Corde metum. Non advenio terrere, docere
Advenio. Qvid agas rerum, novi, ô bone, novi!
Scilicet indagas ſtudioq; fideq; tenaci
Doctorum eximios conſummatosq; Virorum,
Mundo quos olim peperit Leoberga Genitrix.
Euge bonum factum! Non hoc ſine Numine noſtro
Cæptas. Et quoniam penito tibi pectore cura
Hæc ſedet, in Partem pulcros relevabo labores,
Et dictabo lubens memori ſignata Libello,
Noſcere quæ geſtis. Bipatens exprome Pugillar
Ilicet & Graphium, Dictataq; noſtra caspeſc.
Unde tamen cæpti procedet Carminis Ordo?

 Quem

Quem primum celebrare Virum mihi sumo? Tot inter
Nomina, supremâ quodnam statione locandum?
Hæreo; suspensam sic copia tanta Virorum
Distinet & pariles attollens Gloria palmas.
Sed quoniam mihi narranti delectus habendus,
Primâ fronte Sophos statuam, qvi Pallade dextrâ
Formarunt Adolescentis vaga pectora Cœtus.
O quantum hisce Viris Respublica candida Pindi,
O quantum Christi florens Ecclesia debet!
Quid Consulta Themis, quid sospes Hygea valeret,
Utraq; nî succincta foret sapientis Athenæ
Artibus. Has verò curâ solerte propagant,
Os rude qui pubis fingunt moresq;, Magistri.
Quos inter tu semper habes memorabile Nomen,
(a) Sueve, *Silesiacæ Moderator summe Juventæ.* V. Inf. Elenchũ.
Alter tu Fabius consummatusq; Prometheus
Mentis formandæ, tu strenuus Optio Phœbi
Pythia per patrias induxisti Orgia Valles,
Musarumq; Choros. Te Directore Lyceum
Auctu succrevit tanto, ut certare cuivis
Gymnasio posset Studii ferventis agone.
Quam vix cepisset moles cuneata Theatri,
Densa cohors Juvenum te circumfusa docentem
Sedit, quos variis Regionum exciverat oris
Doctrinæ nova Fama tuæ celebrataq; Pitho.
Venerunt Leorin diversæ sortis alumni,
Slesia quos tulerat Mater, quos Lusatis ora:
Venerunt omnes te Præceptore doceri

Inge-

Ingenuas Artes. Ex his pars plurima restat,
Vel Titulis propriis, vel avito Stemmate clara,
Quæ Leorineæ multo cum fænore Cyrrhæ
In commune bonum certat depromere fruges
Et non te Manesq́ tuos mactemus honore
Assiduo? Certè Phœbo tu dignus haberis,
In cujus Tumbâ plantet Daphnona perennem:
Ante tuos quem jam meruit Laurentius (b) *ortus,*
Gorliciæ Sator ille Scholæ, Stator ille bonarum
Disciplinarum: quem Lusata terra celebrat
Omnia Fridlando similem magnoq́ Philippo,
A quo Doctores agmen juvenale docendi
Et normam & formam methodo didicere magistrâ.
Hi sunt Polluces, Clario qui Lumine noctem
Discussere gravem, quam doctæ offuderat Ascræ
Horrida Barbaries; multâ qui Luce Lycea
Complêrunt, sacram tollentes Lampada Clius.
Testis non una est nobis Academia plures,
Quam pullos unquam produxit turba Castri
Candida, prognatos Leorino semine Cives
Doctoris Sophici Titulum retulisse supremum.
Tu pro me recites, Pallas Philyrea, catervam
Ingentem lectam Leorinâ è Gente sacrumq́,
Aptam Stemma Sophi, te decernente, Magistri.
Horum (c) Gerstmanus *procedit in agmine primo,*
Qui decus id meruere, Caput mox ipse Senatus
Clarum Palladii. Sophiæ pars cætera Palmâ
Victrici contenta parum potiora Brabéa,

Alta ſupergrediens Pindi Laureta, recepit.
Nunc pergo Jenam: Reuſneris *illa duobus*
Claratur, gemino ceu Caſtore lucidus Æther.
Quis non (d) Nicoleon *novit prænobile Germen*
Et decus egregiæ Stirpis, cui Phœbus & omnis
Aſſurgit Phœbi cœtus, quem Cæſaris Aulæ
Allegit Comitem? Licet is interprete Suadâ
Jus enodaret; tamen inclinavit honorum
Ad Laurum caput Aoniam famamq́; Poëtæ,
Oſcen Muſæus, quo Sleſia culta triumphat
Vate, poetigenis nil cedens Sleſia Cattis,
Nil cedens Francis. Ejusdem Gentis (e) Eliam
Quis neſcit, quo non alius diſſolvere nodos
Hiſtoricos melior, Chronio qui vixit & almis
Pieridum Studiis, hinc magnum Nomen adeptus.
Sed quæ te laudet ſatis Arconate (f) *Camena?*
Carmina tu ſummo ceciniſti digna Marone,
Quæ ſi conjunctim libuiſſet prodere, palmam
Lotichio dubiam faceret cenſura. Secundo
Ne fortaſſe fores prior, obſtitit ater iniqui
Livoris tibi dens, & iners ſocordia ſecli.
Hæc quoq́; Neukirchum, (g) *preſſit, qui clarus avorū*
Tempore Bruſſiaci celebravit Oreada Pindi,
Quem coluit, Vatis conſors geminusq́; Sabini.
Nimirum melius Leorinæ Gloria Famæ
Ivit conſultum. Muſæ levioris alumnos
Concedens aliis Leoris non invida, & iſtâ
Promere laureolam ſpernens promulſide, Prolem
Altius

Altius evectam & potioris Apollinis arte
Instructam misit Mundi in commune Theatrum.
Ergò desertis Aganippes vallibus Ædem
Augustam lustremus Hyges, quæ sospite Curâ
Ægros restituit properantia Fata morari,
Et vim feralis Libitinæ frangere gnara.
Hîc demum numerare licet longo ordine Celsos
Auratâ dignos statuâ quercuq; virenti,
Ob tot servatos Cives summosq; Dynastas.
Adspice (h) Wirthiadum prognatos Gente Georgos
Tergeminos. Primus Ludovici Regis in Aulâ
Floruit Hungaricâ. Generosa Vienna secundum
Morte citâ raptum ploravit. Tertius ingens
Indeptus Nomen coluit te, Carole Cæsar,
Teq; Philippe, Patris tanti memorabilis Hæres:
Pæonias itidem vobis qui cultus ob artes.
Hos sequitur longo memorandus carminis orsu
Ille Palatini Montis ter maximus Hermes
Langius (i) & Scriptis docto notissimus Orbi;
Quem tot producti Rhenanâ Stirpe Dynastæ
Custodem vitæ sibi delegêre tuendæ.
At quid opus laudare Virum, quem publica Phœbi
Lativio dudum commendat Epistola Mundo?
Proximus est illi meritis illustribus, Aulæ (k)
Nomen cui felix non fallax contulit omen.
Hunc Brenni veteris magni sensere Nepotes
Chironem fidum, Vetus & Nova Marchia sensit.
Laus magna in Procerum Medicos peperisse Salutem;

Nec minus in Populi Medicos peperisse Salutem
Laus magna est: Leoberga decens sed utrâq; triumphat
Candidulis Famæ tendens ad sidera mannis.
Quæ Regio, quæ pars usquam Germanidos oræ,
In quam non Pullos amiserit illa Galeni?
Lipsia Gittlerum (l) *commendat Hygea benignæ*
Artis Doctorum Directoremq; *benignum.*
Hæc quoq; Zeidlerum (m) *meritâ decoravit Olivâ*
Ob studium Coi sacrum fidumq; Magistri.
Antiquum Martis-Pygum, quâ Misnia fines
Saxonicos spectat, Bejerum (n) *prædicat unum.*
Suevica certatim Nordlinga & Lusata Sitta
Reusneros (o) *tollunt præclaros Arte Melampi:*
Usq; adeò tradux Reisneri Germinis Orbis
Diversas Urbes complevit fruge salubri.
Hos præter memor ipsa sui Leoberga Medentum
Eximios sibi progenuit terræq; propinquæ.
Fovit prælustrem Medicum Melicumq; (p) Koberum,
Fovit Langiadem (q) *cui fasces Consulis ægra*
Patria commisit dirâ impendente ruinâ.
Scilicet â Medico sperabat pressa Salutem.
Fovit & Ecciadem, (r) *cui solers Cura Fidesq;*
Perpetuum peperit Nomen, cum pestilis Urbem
Tempestas rueret. Non illo charior alter
Sennerto fuit ingenti: Sic acre probabat
Ingenium Studiumq; Viri Germanicus iste
Hippocrates Mediciq; Chori venerandus Apollo.
Nomen grata tuum, Stiglizi (s) *fide Machaon*

Lusatiæ

Lusatiæ memori cantabit carmine Lauba.
Nec Lubena tuum, Lux splendidioris Hygeæ
Gleisbergere (t) *tacere potest. Hoc nempe merentur*
Post sua fata decus Medici, quos Lacteus Orbis
Excipit emeritos, & Cœli parte serenâ
Ponit, Chironis fulgens quà promicat Arcus.
Nunc Cœlum famæ lustrabimus altius istud.
Virginis hîc mitis Signum radiatile frontem
Attollit sacrâ dispensans Jura Bilance.
O quot ibi fulgent stellato Nomina Peplo,
Quæ veneranda Dice claro transscripsit Olympo!
Hîc splendet puro Reimanni (u) *Gloria vultu:*
Illic HortensI (x) *florescit vivida Chloris.*
Latius extendit Lumen per utrumq; polorum
Wirthiadum *Sidus geminum,* (y) *quod Lipsica quondam*
Pulpita magnifico complevit Lucis honore.
Adspice Reusneros (z) *iterumq; iterumq; canendos,*
Quorum Pars Patriam re consilioq; salubri
Ornavit, pars externas dispersit in Oras
Ingenii radios: Inter quos eminet almæ
Leucoridos Consus Phœbeæ lampadis instar.
Adspice Schultziaden (α) *Albano è Monte coruscæ*
Atria per Famæ fundentem Lumen honorum.
Quis quantusq; Virûm tibi Prinzius (β) *iste videtur,*
Cæsaris Orator, Suadelæ Gloria princeps?
Quis quantus Virûm tibi Saurius (γ) *ille videtur,*
Bresla Johanneâ quem vidit in Æde Senatum
Condecorasse sacrum: cujus pars ampla fuisti

Tu quoq; Wirthiadum, Petre (δ) *ſangvine proſate priſco.*
Jam Neugefindl (ε) *poſſem monſtrare Salinis*
Gratum Saxonicis Lumen, producere poſſem
Schepſiaden, (ζ) *Generi qui contulit Ornamentum*
Grande ſuo, poſſem Saidos proferre Camillos;
Suevum, Reinhardum, Zeidleros (η) Hoppiadenq; (θ)
Ottmannæ *Gentis* (ι) *Proavos exponere poſſem,*
Poſſem alios: (κ) *ſed nil opus eſt accendere Soli*
Lumen. Quæ canimus dudum ſunt cognita Mundo.
Nunc ſummam tandem ſacer Ordo Coronida claudat.
Ecce Sionei felicia Germina Saltus,
Heidenreichiades (λ) *Fratres, qui frugis opimæ*
Stirpes in Chriſti plantarunt gnaviter Agro.
Primus in Elyſio quà Vratislavia ſepto
Floret, Chriſtiadum vernante propagine Gentem
Auxit; Brunonis progresſus in arva Secundus
Marchiacasq; plagas Doctrinæ fertile germen
Produxit. Sed tu Codani, venerande Colete, (μ)
Æqvoris haut ſterili verſaſti littus aratro.
Nec labor in Domino, Seileri, (ν) *veſter inanis*
Extitit in Patriâ, ſed fructum protulit amplum.
Prætereo reliqvos Cæloq; Deoq; probatos
Paſtores Gregis electi Chriſtiq; Miniſtros. (ξ)
Prætereo reliqvos Doctrinæ nomine claros;
Seu fuerint Scholicis operati ritè Camenis,
Seu potioris Hygæ ſtudiis Themidosq; ſacrati,
Quos ego per Satyram ſi ſaltim dicere vellem,
Surgeret Hiſtoriæ milleſima pagina nobis.

For-

Fortunati omnes, dicti indictiq; serenis
In Famæ templis quovis fulgebitis ævo.
Ast neq; sic vestra Stirps ab radice revulsa est,
Surculus ut nullus, Suboles ut nulla supersit.
Vivit Progenies Suevorum *Germine bino,* (ο)
Leucoris & Magni quo Saxonis Aula potitur.
Vivit Schultziadum *productus Stemmate Ramus*
Aureus (π) *& Breslam fæcunda fronde coronat.*
Vivit ibi Pullus Gleisbergius (ϱ) *acer Hygeæ.*
Vivit Stiglitius (σ) *Gedani, Podalirius alter.*
Vivit sub Philyræ florentis tegmine læto
Hoppius (τ) *Æsclapi claræ clarissimus Arte.*
Vivunt & plures Leorinæ Gentis alumni, (υ)
Qui per Majorum scandunt anabathra Monetæ
Ædes in celsas, hæredes laudis avitæ.
Salvete, illustres Animi, quos vel capit æther
Magnis defunctos meritis, vel detinet Orbis
Inferior, gremioq; timet dimittere charo;
Salvete & memoris Musæ macti este Brabeo.
Salve summorum Genitrix Leoberga Virorum,
Mnemosynesq; tuæ laude esto macta perenni.
Donec Castalidum Studiis sua gloria stabit,
Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Elenchus

Clarissimorum Virorum, qui Leobergâ orti & superius memorati sunt.

Philosophi & Poetæ celebriores.

(a) *M. Casparus Suevus Scholæ Leor. Rector & Instaurator.*
(b) *M. Laurentius Ludovicus Gymnasii Gorlicens. Rector.*
(c) *M. Nicolaus Gerstmannus Facult. Philosoph. in Academ. Lipsiensi Decanus.*
Ejusdem Facult. Matricula nominat plures ex Leorinis Familiis, Reusneris, Wirthiis, aliis Magistros & Baccal. Primo Acad. illius seculo creatos.
(d) *Nicolaus Reusnerus Ict. P. L. Com. Palat. Cæsar. in Argent. & Jenen. Acad. Antecessor.*
(e) *Elias Reusnerus Med. Lic. Hist. & Poet. in Acad. Jen. Profes.*
(f) *Hieronymus Arconatus Poeta, Sacr. Cæs. Majest. ab Ep. Bellicis.*
(g) *Valentinus Neukirch Poet. in Acad. Regiomont.*

Medici.

(h) *Georgius Wirth. I. Med. D. Ludovici Regis Hungar. Archiater. Georg. Wirth. II. Med. D. Pract. Viennæ. Georgius Wirth. III. Med. D. Caroli V. Imperat. & Philippi Hispan. Regis Medicus.*
(i) *Johannes Langius Med. D. IV. Com. & Elect. Palatin. Archiater, Autor Epist. Medicinal.*
(k) *Caspar Hoffmanus M. D. Elector. Brandenb. Archiater.*
(l) *Balthasar Gitlerus Med. D. & Prof. in Acad. Lips.*
(m) *Johannes Zeidlerus Med. Doct. & Prof. ibid.*
(n) *Georgius Bejerus Med. Doct. Duc. Sax. Archiater & Physicus Martispurg.*
(o) *Hieronymus Reusnerus Med. D. Phys. Imperial. Nordlingæ. Bartholomæus Reusnerus Med. & Physicus Zittavien. Pater Bartholomæi Reusneri Icti & Ordin. Witteberg.*
(p) *Tobias Koberus Med. D. P. L. Physicus Patriæ.*

(q) Bern-

(q) *Bernhardus Langius Med. Doct. Physic. & Consul Patriæ.*
(r) *Melchior Eccius Med. D. Physicus Patriæ.*
(s) *Johannes Stiglitz M. D. Physicus Leor. & Laubanus.*
(t) *Martinus Gleisberger M. D. Physicus Lubenen.*

Jurisconsulti.

(u) *Johannes Reimannus J. U. D. Ducc. Ligio-Bregens. Cancellar. & Consiliar.*
(x) *Vincentius Hortensius Episcopi Wratislav. Cancellar.*
(y) *Michael Wirth. Senior J. U. D. Facult. Jurid. in Acad. Lips. Ordinar. & Consiliarius Elector. Sax. &c.*
Michael Wirth. Junior J. U. D. & Prof. Consist. & Curiæ supremæ Elect. Adsessor ibid. &c.
(z) *Franciscus Reusnerus. J. U. D. Canonicus Wratislaviens.*
Jeremias Reusnerus J. U. D. Facul. Jurid. in Acad. Witteberg. Ordinarius & Senior &c.
(α) *Georgius Schultz J. U. D. Comit. Barbiens. in Sax. Cancellar. & Facult. Jurid. Witteberg. Assessor.*
(β) *Daniel Printz Orator & Legat. Cæsarius.*
(γ) *Stanislaus Saurius D. Canon. Wratislav.*
(δ) *Petrus Wirth D. Canon. Wratisl.*
(ε) *Johann. Neugefind JC. in Salin. Saxon.*
(ζ) *Salomon Scheps J. U. D. Consiliar. Cæsar.*
(η) *M. Caspar Suevus, Caspar Reinhard. M. Michael Zeidlerus, Syndici Patriæ.*
(θ) *Batholomæus Hoppius J. U. D.*
(ι) *Ottmannicæ Leorinor. antiquiss. Familiæ ortum debet Francisco Hotomannus Ictus Nobil. tradente Suevo in Mnemosyne Leorina.*
(κ) *Familiæ plures Clarissimæ Leobergæ ortæ sunt, quas omnes memorare non valemus.*

Theologi.

(λ) *Esaias Heidenreich SS. Theol. D. Pastor Wratislav. Elisabeth. Johannes Heidenreich. S. Theol. D. Superinten. Brunsvvicen. necnon in Helmstad. & Francofurt. Acadd. Prof.*

Horum

Horum Pater fuit M. Laurentius Heidenreich Eccles. Leor. Pastor.
(μ) Michael Coletus Pastor Dantiscan. & Ministerii ib. Senior.
(ν) M. Tobias Seilerus Pastor Leor.
(ξ) Martinus Seidemannus, M. Casp. Lindnerus & alii quam plurimi Theologi intra & extra Patriam floruerunt, quos omnes Ora papyri brevis non capit.

Superstites.

(ο) Gottfridus Suevus J. U. D. Prof. in Acad. Witteb.
Casparus Suevus Med. D. Elect. Saxon. Archiater.
(π) Chrysostomus Schultz. JC. &c.
(ρ) Blasius Gleisberger Med. Pract. Wratisl.
(σ) Georgius Stiglitz Med. D. & Pract. Dantisci.
(τ) Johannes Hoppius M. D. & Profes. in Acad. Lips.
(υ) M. Balthasar Hartranfft Pastor Barbiens. in Saxon.
Johannes Mollerus Pastor Dirsavien. in Borussia.
M. Christianus Hoppius, Patriæ quondam Minister, & alii, quorum Honori, quod hic omissi sunt, nihil demtum esto: quemadmodum neq; illorũ, qui pro arbitrariâ Carminis lege eo, quo decebat, ordine à nobis non sunt collocati.

Cæterum hæc passim ex Mnemosyne Leorinâ, sive Oratione de præcipuis Leobergæ Ornamentis M. Casp. Suevi, & Descriptione Leobergæ exquisitâ M.SS. Chrysost. Schultzen JC. bona fide excepta sunt.

FINIS.